

ORATIO
 COSMI MINERVETTI
 HABITA FLORENTIAE IDIBVS


FEBRVARII IN AEDE

D. LAVRENTII

In Funere RVDOLPHI. II. Cæsaris Ro-
manorum IMPERATORIS

Semper Augusti,

GERMANIAE, HVNGARIAE,
 ET BOEMIAE, REGIS.



FLORENTIAE,

Apud Cosmum Iuntam. M. DC. XII.

De consensu Superiorum.

1998

1999

2000

2001

2002

2003

2004

2005

2006

2007

2008

2009

2010

2011

2012

2013

2014

2015



3

ORATIO
COSMI MINERVETTI
DE LAVDIBVS RVDOLPHI
II. *Casaris Romanorum Imperatoris
Semper Augusti.*



AEPHVS, quam Reipublica (Chri-
stiana) utilitas, aut tua (SERE-
NISSIME PRINCEPS) in
maximos Reges observantia, &
amor, quo Austriacam Augustam
Domum amplecteris, requirerent, no-
ua funeris pompa, funesto exequiarum cultu summum ali-
quem Regem, nolis acerba, lacrimabiliq; morte ereptum de-
ploramus, novamq; communis felicitatis iacturam luctu, &
virtutum recordatione mitigandã accipimus. Non dum exic-
cata lacrima, non dum ex animis dolor ille evanuerat, quem
Henrici, fortissimi Galliarum Regis obitus tibi, & serenif-
simae Domui attulit, cum Margarita, Hispaniarum Regi-
na sanctissima, & tibi tam arcto amoris, & affinitatis vin-
culo coniuncta morte exoritur moeror, quo & antiquus luctus
augeatur, plagaq; quas iam prudentia, & virtute con-
solidaveras, repetito fortunae saevientis ictu recrudescant.
Oblivus dies est, ex quo potentissima Regina ea magnificen-
tia supremum amoris, & pietatis officium persolvisti, ut tua
in illam pietas, & regij animi magnitudo exposcebat. Nunc

Serenissimi Rudolphi Augusti, affinis tui inexpectata mors eadem iterum lacrimas, summi Imperatoris merita eadem pictatis, & magnificentia officia expostulant. O fallaces hominum spes. O inanes regnorum, & imperij cupiditates.

Quis vestrum (Auditores) adeo humanarum rerum immemor, quem non commoveat huius templi funebri iterum, moestaq; facies, qui non misceatur, Inclytum Regem non virtute, Augustam Foeminam non fortuna amplitudine, Potentissimum Casarem, non Casarei Diadematis splendore à tam subita, & repentina calamitate defensum? Utinam quantum mihi doloris, quantum lacrimarum humana natura, nostraq; sortis contemplatio excitat, tantum inesset eloquentia ad eas deplorandas, Augustissimiq; Imperatoris laudes enarrantas, ut his & recens dolor mitesceret, & nos quo maximo possumus honore defuncti Caesaris nomen prosequeremur. Quae omnia cum à me nequaquam tum temporis, tum orationis angustia praestari queant, satis erit unam, aut alteram ex Rudolphi virtutibus recensere, quibus vos, & reliquas discere, & tum harum contemplatione, tum vestra virtute potius, quam intempestiva oratione recentem moerorem temperare possitis.

Si ex maiorum gloria, & Augusta Domus splendore Casari laudes comparare, & illum non proprijs, sed fortuna, & natura bonis exornare, communemq; alijs Austriacae nobilitatis maiestatem unius gloriae tribuere, ex aliorum consuetudine niteremur, quam vberem, cumulataq; laudum segetem Rudolphi maiores praeberent, quorum hos Romanum Imperium virtute adeptos, illos eadem amplissima regna consecutos, posterum gloriam augere, & lucem quandam eorum
 præferre

præferre actionibus nemo ignorat. Sed, cum parentum virtutes animo, non minus, quam corpore lineamenta oris præferantur, dum *Cæsaris* decora enarrabimus, in illis quoque quodam modo elucebit *Rudolphi I.* Fortitudo, *Utriusque Alberti* Felicitas, *Federici* Mansuetudo, *Maximiliani* Liberalitas, *Caroli* Magnanimitas, *Ferdinandi* Pietas, & *Maximiliani II.* Prudentia. Præterea nullus est adeo præteritarum rerum, & antiquitatis ignarus, quem lateat, non vi, non armis, non ambitu partum *Austriacis Romanum Imperium*, sed sola *Rudolphi I.* virtute; illum (cum quadringentis prope ab hinc annis Germaniam tot civilibus dissidijs conuulsam, tot externis hostibus oppugnatam, ad pristinum splendorem, concordiamque, reduxisset, ciuium salutem, fortunaſque defendisset) ad *Romanum Imperium* omnium Electorum suffragio vocatum, qua adeptus fuerat virtute, sancte illud, castæque administrasse. Quæ tam ingrata litera, cuius gentis annales, historicae reperientur, non *Austriacorum Regum*, & *Cæsarum* gestis refertæ, quæ hanc inçlytam domum, ad summum fastigium genitam, *Cæsarum Matrem*, *Romani Imperij columnam*, *Barbarorum terrorem*, *Germaniæ*, & *Christiana Reipublica propugnaculum*, & ornamentum non appellent? De qua cum difficile sit pro dignitate loqui, & omnes, qui de ea scripserunt, nihil gloriæ addiderint, cum ipsa sua luce clarissima, terrarum orbem illustrauerit, silentio illam potius venerantes, quam parce, ieiunèque, cuius laudes recensentes, ad proprias *Cæsaris* introspiciendas, & explicandas, conuertemur; Qui *Maximiliano II. Imperatore*, & *Maria Caroli V. filia*, augusta illa foemina (quam *maximi Regis* sororem, præclarissimo Imperatore genitam, *Imperatoris Matrem*,

trem, & coniugem nostrā admirata est aetas) exortus; quid mirum si geminata Austriaca virtutis praecoces, optatosq; fructus ediderit, quibus Germania gaudia, & Christiani orbis spes augerentur? Huius virtutis fama, non Austriae limitibus, non amplissimis Germania finibus inclusa, sed in Hispanias usq; peruagata Philippum auunculum, Regum omnium prudentissimum commouit, ut ex Germania Rudolphum euocaret, parentesq; obnixis precibus exoraret, ut illo unico solatio, quo eorum pariter vita, & populorum spes innitebantur, priuari perbreue temporis spatium paterentur. Ille igitur ex Augustissimorum parentum amplexu, & Germania totius desiderio auulsus, in Hispaniam cum Ernesto Fratre profectus auunculum optimum exoptato aspectu, Hispanias omnes florentium virtutum splendore hilarauit. Ubi aliquot annos commoratus, difficile est referre, an maior esset Hispania retinentis, contemplantisq; voluptas, an Germania desiderantis, efflagitantisq; dolor. Gaudebat potentissimus Rex, Hispaniaq; omnis Rudolphi virtute, atq; exemplo regiam sobolem ad virtutem, ad magnanimitatem excitari; moerebat Germania tot regnorum, & Romani praesertim Imperij heredem longe abesse, & generosam illam plantam, in aliam humum translata, alibi potius, quam ubi nata, atq; enutrita fuerat, coalescere. Retinebat Rudolphum Regis maiestas; reuocabat patria, & parentum amor; vicit tandem parentibus debitum obsequium; vicit patria vrgens caritas, quibus coactus Hispaniam, & Auunculum, à quo tanquam filius vnice diligebatur reliquit, atq; in Germaniam remeavit. Maior (Serenissime Princeps) quam ut regnandi ex pers conditio postularet, visa est

est Rudolphi virtus, ampliori loco superimponendam Prens ;
 & Germaniæ Principes existimabant. Nam quæ admodum
 procera arbores in summis collibus sita pulchriores, sublimio-
 resq; quam in imis vallibus consista apparent, ita sublimis, &
 erecti animi virtus in regni apice constituta augustior, &
 mortalibus fructuosior effulget. Quamobrem prudentissi-
 mus Cæsar Maximilianus tantam virtutem in obscuro latè-
 re haud passus, Hungariæ regni Diadema proceribus omnibus
 approbantibus, faustis, lætisq; circumfusa multitudinis accla-
 mationibus Rudolpho Possonia imposuit. O diem illum pa-
 terni amoris in filium, & filij in parentem pietatis pulcherri-
 mum testem, cum parens florenti ætate, non ut quieti, &
 otio consuleret, sed quia filium digniorem existimaret, nobi-
 lissimo regno se se abdicat; filius amore, & pietate regna, &
 imperia extorquet, de quibus toties parentes cum filijs, filij
 cum parentibus impie, & nefarie decertarunt. Rudolphi
 virtutem Pannonia non capi statim innotuit, unde Boemia
 quoq; regno Pater exornat, ac demum Augusta Germano-
 rum Principum conuentu habito, unanimes electorum con-
 sensu Cæsarem appellat; in proximo sibi fastigio collocat, &
 nihil potius ducit, quam ante suum è vita discessum, filium Im-
 perij, Regnorum, & fortunarum omnium heredem aspice-
 re. Multas in Imperatore virtutes requiri Romanus ille
 Orator asseruit, dum Pompeium suum omnibus exornatum
 ostendit; sed nos qui Christianorum Imperatorem non fal-
 sis virtutum imaginibus, sed Orthodoxo, ac pacifico Augu-
 sto dignis encomijs laudandum suscepimus; has duas tantum
 virtutes contemplemur, pacis conservanda studium, & Ca-
 tholica Religionis amorem. Quam ille adeo pure, adeo con-
 stanter,

stanter, adeo inuiolatè retinuit, vt non ad regnorum, & Imperij utilitatem, sed ad vnus diuina legis normam, præscriptumq; direxerit. Nam, cum primum Imperium adeptus est, in augustissimo illo Germanorum Principum conuentu, quo Principes, & Ciuitatum omnium legati conuenerant, memor regna, & imperia, non humana sapientia, sed pietate constabiliri, nihil sibi gratius, aut iucundius accidere posse affirmavit, quam si omnes impijs opinionibus eiuratis, Romana Ecclesiæ lumen agnoscerent, fidem amplederentur. Germania etenim (Serenissime Princeps) prouinciarum omnium maxima opibus, & viris abundans, vna ex reliquis Christiani orbis reperta est, quæ Romani Imperij collabentis maiestatem tueretur, Italia, & Romana Ecclesiæ propugnaculum existeret. Hæc quondam, haud minus quam potentia valda, pietate insignis, quoties validissimos exercitus in Italiam ad summos Pontifices à nefarijs impiorum hominum conatibus propugnandos misit? Quoties fortissima Germanorum natio in Asiam transgressa Christi hostes interfecit, eppida expugnauit, vt Seruatoris nostri sepulchrum defenderet, vt pios illos Reges Inclytæ Matris tuæ Progenitores augustam Hierosolymorum urbem, tot annis, tanta gloria, & labore defendentes, consilio, & copijs iuuaret. Sed nunc (proh dolor) parentum nostrorum aetate nefarij homines Germanicæ pietatis luci nubes peruersis Diuina legis interpretationibus obducentes, vt plurimi in Deum cultum, in Casarem obsequium remitterent, effecerunt. Hinc tot à vero aberrantes exorte sunt de diuinis rebus sententiæ, hinc ciuilia bella, quæ Carolo V. Casare Germaniam vniuersam concusserunt, hinc Germanorum arma, queis Orientis regna contremiscunt,

miscunt, è barbarorum iugulo in patria viscera conuersa.
Quibus malis remediũ ullum adinuenire, non Caroli potentia, non Ferdinandi virtus, non Maximiliani prudentia, potuit. Imperium igitur, & Germaniam Religione, & armis dissidentem regendam Rudolphus accipiens, vt in antiqua pietatis splendorem rediret, vt immensum Imperij corpus vnanimi Principis, & Procerum consensu regeretur. summa diligentia, & virtute curauit; & cum maxime ipsius exemplar subiectorum animos ad verum Dei cultum accenderit, nullum flumen ingenij, nulla dicendi, & scribendi vis, aut copia reperiretur, qua satis Rudolphi pietatem enarraret. Quam piè summos Pontifices, vt Jesu Christi potestatem in terris referentes veneratus est? Quam seuerè impios Aquisgrani, & alijs in vrbibus, contra Catholicos omnia turbantes, edictis repressit, & poenarum timore coercuit? Nul- lum tam Diuinum, atq; incredibile genus orationis excogitari potest, quod laudabile Caesaris facinus Viennæ, Germanis, & mortalibus omnibus clarum, testatumq; satis celebret, & debitis praconijs efferat. Aderat pius Augustus Sacra supplicationi (vt eius mos erat) qua admirabile illud Diuinæ largitatis, & summi amoris pignus ab immortalis Deo mortalibus relictum, insigni, celebriq; pompa per Vrbem circumferebatur, ipso die, quo erat tanti beneficij memoria renouanda. Seditio exoritur, ab impijs suscitata creditur, qui Cesaream pietatem, ceu Solem, haeresi occacati, nequaquam perferentes, nefario ausu sacras caremonias deturbare conarentur. Omnium de repente perculsis animis, à mulis Caesar destituitur; sed Augustum animum non deserit virtus; manet

ipse intrepidus, & stricto ense, se se insanienti multitudini, ne in Deum furat, opponit, proprium caput periculis obiecit, ut vel Maiestatis, vel corporis oppositu Sacra tueatur. Rex David, cum Dei Arca in sanctam Ciuitatem induceretur Sacerdotum more tripudians, exultansq; eam precedebat, ut regia dignationis fastigium Diuina submitteret Maiestati, vnde iure à sacris historijs tanti regis pietas commendatur: Sed quanto magis Caesaris nostri, quam Davidis in Deum amor enituit, qui maiestatem, & vitam pariter neglexit, ut veram Dei arcam, in qua & nomen Domini inuocatum fuerat, & ipse Deus exercituum inerat à detestanda Hereticorum audacia, & à sacrilegis manibus defenderet? O diuinum, o praeclarum Austriaca pietatis exemplum, omnium hominum linguis, omnium gentium historijs, monumentisque celebrandum. Et cuius unquam Regis, aut Augusti ex omni praterita antiquitatis memoria, aut insignioris in Deum, & religionem amoris factum, vel ipsi legimus, vel ab alijs audiuimus? Hac Caesaris pietate perterriti sunt hostes Dei, piorum auctus est animus, & ita haereticorum postea exilio, & sauerioribus poenis refrenata audacia, ut Catholica serenitatis lux Vienne, & Austriæ redierit, quæ Caesaris religione magis, ac magis irradiata illius nomen, ac tam præclara in Catholicam Ecclesiam merita omnium sæculorum memoria consecraret, omnium Oratorum eloquentiæ celebranda proponeret. Non referam nefarios conatus Coloniensis Archiepiscopi repressos, qui pietatem, & Deum pariter deserens, amplissimam illam dioecesim, hæreseos labe infici, & Germaniam omnem ciuili, atrocisq; bello inflammari concupiuerat.

Non Principes minacibus edictis exterrit os, quos eiusdem religionis, seu potius eiusdem impietatis studio Truchsenfis sibi confociauerat, ne milite illum, consilio, aut opibus inuarent. Aeterna enim erit Germania Rudolphi Religionis tuenda, & conseruanda cura, qui Apostolica Auctoritate, Catholicorum Principum armis, ac praecipue Ernesti Bauariae Ducis virtute impium Antistitem ex Ecclesia, quam impietate polluerat, pie exturbandum curauit. Quam cito incendium illud, quod totam inuaserat Germaniam extinctum, quanta prudentia, tanti mali nascentis semina elisa? Quanta autem animi constantia, & regnorum omnium adito discrimine obnixus est, ne Austria, Boemia, & Pannonia Populi penitus à Romana Religione deficerent? Illum non populorum in hoc unum conspiratio, non prouinciarum supplices legationes, non ingentes auri acerui, quos impij (ut impunes à Deo, & maiorum institutis decederent) offerebant, à iusto, & constanti proposito dimouere. Hinc tot templa, & Sacrae Aedes in Boemia Hussitarum impietate collapsae, Caesaris pietate restituae. Hinc sacrorum virorum caenobia, quasi propugnacula quadam ad Catholicam fidem in illis oris retinendam erecta. Hinc ab Austria, & alijs prouincijs tot edilis recentis in Deum prohibiti cultus. Hinc toties Ecclesiae hostibus coercitis, antiquus religioni splendor, aut conseruatus, aut restitutus est. Quòd si non penitus Germania, & reliquis Caesaris regnis tot effusas hereseos nebulas ingens hoc Casaree pietatis lumen dissecerit, non Casari, sed dissidenti Germania, ac prouinciarum illius, & antiqua libertatis in

busdam obstricta, limitibusq; circumsepta est, tribuatur. Rudolphi pietate enarrata ad pacis studium diuertamus, cuius rei laude nulla maior in Christianorum Imperatore reperiri potest. Henrico Polonorum Rege (dum Maximilianus viveret) in Galliam reuerso, ex Principibus aliqui ad Maximilianum scepra deferebant, alij ad Stephanum Batorium inclinabant, qui regno tandem potius ex Germania imminens bellum formidabat; cum Imperator repulsa impatiens, & Stephano iam pridem infensus, Suetia Rege, & Moschorum Duce in foedus ascitis, atrox Poloniae bellum minitaretur. Sed Maximiliano in tanta curarum mole vita defuncto, Rudolphus, qui Patri in opes successerat, à civili bello, Christianorumq; sanguine abhorrens, paterna iura, quae armis asserenda essent, Stephano remittens, Polonijs pacem dedit; & Sarmatarum procerum non nullos, quos, ut amulifantores, Maximilianus Pater acri custodia detinuerat, liberos, exolutosq; abire iussit. Et ne bella de iisdem regnis inter Sygismundum Regem, & Maximilianum fratrem, Pontificia auctoritate extincta, amplius exorirentur, sanctissimo Connubij foedere Austriacæ Domui Polonos Reges adiunxit. Ex quo perpetua pax firmata, quae validissimas Christiani orbis nationes ad barbaros è ceruicibus nostris repellendos conficiaret. Non minori studio contendit, ne longa Italiae pax turbaretur, & cum ex Alfonso Ferrariensium Ducis obitu discordiarum semina iacerentur, prohibens, ne ex Alpibus Germanorum agmina ad bellum alendum prouerent, ut tanti motus quam citissime componerentur, effecit. Quinetiam,

ut omnes bellorum causas tunc penitus excinderet, non
 aliena inuadere, sed suamet ipsum alijs dilargiri regiam
 existimauit laudem, idq; in summa fortuna non usurpa-
 re, quod priuatis hominibus fas, & iura concedunt. Ne
 autem Belgij ciuile incendium tam longe diffusum, Roma-
 ni quoq; Imperij fines inuaderet, & tumescentes Germa-
 nia populos ad arma, & dissidia impelleret, & cui, si non
 Caesaris prudentia, referemus acceptum? Quod Roma-
 norum Imperium Turcarum potentia, & cupiditati ex-
 positum, dissidentibus in eo religione Principum animis,
 non externis viribus cesserit, non domesticis dissidijs con-
 flagrauerit, non ne est vnius Caesaris virtuti tribuendum?
 Non tamen pacis, ac quietis amor, qui Casarem à ciui-
 libus bellis reuocabat, bellicam fortitudinem, qua Christi,
 & Romani Imperij hostes propulsaret, morabatur. Nam
 cum Amurates. III. Turcarum Rex contra fœdus, quod
 Selymus Pater cum Maximiliano firmauerat, & ipse po-
 stea cum Rudolpho ratum habuerat, multa Croatia damna
 intulisset, non iniquam vexationem muneribus, aut sup-
 plici legatione Casar redimere, sed bello, & armis (li-
 cet viribus longe impar) illatas duxit à Tyranno iniurias
 propulsandas. Et cum Turcarum Rex (qui Armenijs,
 Medisque subactis, & Oriente edomito Occidentem affe-
 ctabat) pactis cum Persis inducijs, tota regni mole vi-
 ros, armaq; in Pannoniam effunderet (quo tempore na-
 ualibus quoq; cupijs Italiam appetebat) Magnanimus
 Casar, ex proprijs regnis exercitibus comparatis atrocem il-
 lam procellam Imperio, & nobis omnibus, imminente[m]
 sustinebat.

sustinebat. Ad ceteros Reges legatos, & literas mitebat, auxilia Undequaq; euocabat. Orabat, obsecrabat Christianos Principes, ne Pannoniam, & Austriam Ottomanico furori depraedandas, Prouinciasq; Italiae ageres communibus hostibus inuadendas, occupandasq; relinquerent. Tam latum incendium continentibus victorij ex Asia in Europam duffusum, nostris disidijs auctum, cum Hungariam, & Germaniam depopulatum fuerit, quos obices, quae claustra retentura interrogabat, quin Italiam corripere, & quod tunc iunctis viribus propelli poterat, communi aliquando Christianorum omnium ruina extingueretur? Quis enim tam hebes, nec de sua, neq; de aliena salute cogitans, qui infinitam illius Tyranni regnandi cupiditatem nesciat, quae Orbis terra Imperium iam pridem sibi dementissimè destinatum, auidissimè concupiscit? Quae cum fortissima Pannonia, & Germania praesidia perruperit, num felicitati suae vela contrahet? Italia, & ceteris prouincijs abstinebit? Crederens ne illato à Tyranno bello Germanorum tantum libertatem in discrimen adduci, aut sola Pannoniae oppida deposci? Maiora animo Barbarum agitare affirmabat, ex illorum demolitione Italiam magis recludere, & ex Pannonijs cladibus totius Europae seruitium exordiri. Quae monita prudentissimi Caesaris, si Regum omnium animis, quemadmodum Ferdinandi Parentis sui (Princeps Serenissime) hasissent, frustra tot copias, & Orientis vires in Hungariam, & Austriam, Ottomanna audacia eduxisset, sed pro aris, & focis potius dimicasset.

Quis

Quis tamen neget Clementis VIII. Pontificis, & Ferdinandi Medices animis his Rudolphi exhortationibus commotis, illum tot armatorum millia, hunc tot fortissimas peditum cohortes, Fratrem, & Nepotes ipsos misisse, qui se se barbarico furori per Austriam, & Pannoniam grassanti opponerent, & prouincias illas virtute defenderent, sanguine illustrarent? His monitis Italia Nobilitas excita, his Germania vniuersa ad bellum inflammata, his Sygismundus Daciae Princeps ad exuendum Turcarum iugum excitatus, his Moschorum Dux ad fœdus cum Cesare contra communem hostem sanciendum, impulsus, his erecti animi, ne, Jauerino oppido vi, & fraude à barbaris expugnato deficerent, sed acrius ad Istrigonijs oppugnationem accenderentur. Nam Caesar Boemia, Pannonia, & reliquarum prouinciarum Regulis conuocatis, multa ab illis militum millia impetrarat, quibus Italicis copijs iunctis Istrigonium inuaserat, ne hostis victoria elatus Viennam Austria, & Italiae aggerem (ut eius erat consilium) obsideret. Quid de Jauerino arte, & virtute recepto? Quid de tribus validissimis hostis exercitibus interfectis? Quid de Vifgradi, Albaregalis, & Istrigonijs fortissimis Hungariae urbibus tanta hostium clade expugnatis? Quid de Turcarum Rege penè captiuo ex Agria abdueto referam? Quae omnia, sicut Caesaris auspicijs, ita consilio gesta sunt, quo plura in summa fortuna, quam telis, & manu geruntur. Et licet tam varijs, tam ancipitis belli euentus non semper Casari prosperi extiterint ob Agriam amissam,

sam, Istrigonium, & Albamregalem iterum à barbaris occupatas, funesta tamen victoribus, ac tanto sanguine, tot exercitibus parva præda exitio fuit; ita ut viribus, & copijs exhaustis, Rudolpho, conditionibus Ottomannici fastus, maiestatisq; insolitis, pacem obtulerint. Nulla igitur tam ingrata posteritas erit, quæ non suspiciat indefessum Caesaris studium, cum lentis Germania auxilijs, & regnorum suorum tam exiguis copijs instructus (si Ottomannica potentia conferas) Pannoniam, Daciam, Illyrium, Austriam, Croatiam, Carintiam, Boemiam, Germaniam, atq; in illis prouincijs propugnandis etiam Christianorum omnium salutem, & fortunas contra potentissimum hostem, Asia, & Europæ viribus subnixum, acriterq; in hoc bellum incumbentem, defenderit? Qui continenti quindecim annorum prælio imminentem Christiana Reipublica Turcarum furorẽ propulsauerit, bellum tam diuturnum, tam anceps, tam longè, latèq; dispersum, quo tot nationes, & regna premebantur, sustinuerit; cum Persarum Rege sædus, & amicitiam inierit, ut vno, eodemq; tempore hostis in extrema Asia, & Europa ancipiti contentione distractus de Imperio potius tuendo, & salute, quam de gloria, & alienis regnis inuadendis cogitaret; qui oblatam toties à Tyranno pacem, & inducias recusauerit, nullumq; de illis prius sermonem admiserit, quam omnibus auxilijs destitutus esset, frustra Germanorum, & reliquarum nationum opem implorasset, frustra à Principibus Imperij petisset; ut communi Germania auxilio, communis Ger-

manorum

manorum causa defenderetur . Quibus angustijs conflatus , & populorum seditiosis vocibus pacem efflagitantibus impulsus , cum in Pannonia , & Dacia hostium fraude Hædonum incursiones grassarentur , & noua insuper de religione dissidia exorta miscerent cuncta , viginti annorum inducijs à tam longo bello sibi quiescendum duxit , vt interea eius vulnera curaret , & quæ in tanto concussi penè orbis motu , prætorum impetu conciderant , excitaret , belliq; ciuilibus incendia restingueret . Vnde non iniqui rerum æstimatores clades , fortuna , barbarorum vero progressus retardatos , Caesaris virtuti , inducias cum potentissimo hoste patetas , Caesarum fastigio dignas , consilio , & temporum angustia , & necessitati tribuunt . Quemadmodum nos Augusta mentis aciem , fortunæ toties impetu confluatam , tot seditionum , & ciuiliū bellorum turbinibus agitatam , nunquam obrutam , diuinæ cuiusdam virtutis fructum agnoscimus . Conseruatam autem in Germania Catholicam Religionem , Principis exemplo , & amulandi ardore ad illam retinendam , ad verum Dei cultum amplexandum , subiectorum animos prouocatos , omnia accepta referimus Caesaris pietati ; Nefarios impiorum hominum conatus contra Christi Ecclesiam repressos , & tam diu ab Austria , & alijs prouincijs hæreseos pestem relegatam , constanti Caesaris religioni ;

Acre studium , vt Germania pax immota esset , &

inter tot Principes de regno , & religione dissidentes , aut, ne bella exorirentur , aut statim exorta componerentur, Caesaris vigilantia ; Pacis amorem, quo domesticis bellis , & Christianorum sanguine abstinent , Italia , & Republica quietem exoptauit, Caesaris iustitia ; Tot vrbes , tot prouincias , amplissimos Imperij , & Regnorum fines ab immani Turcarum tyrannide defensos , & barbarorum fastum , tot exercitibus profligatis , contusum, Caesaris fortitudini ; Quietem Austria , & Pannonia (vt diuturno bello seßis populis consuleret) partam , Caesaris prudentię ; Mortem tam constanti animo, vt neq; nature , neq; glorię immaturam obitam, Caesaris magnanimitati. Quę mors , etsi Germanię , & Christiano Orbi luctuosa , non tamen nobis lacrimis , aut commiseratione deploranda est , sed defuncti Caesaris desiderium tantarum virtutum contemplatione leniendum . Quin potius , cum triginta , & quinque annis Romanorum presuerit Imperio , Catholicam Fidem seruauerit , Pacem dilexerit , Deum Optimum Maximum exoremus , vt Ecclesie sue Custodem , tot regnorum Principem , Orthodoxum , & Pacificum Augustum ea tandem corona red. miat in Cælis , quam repromisit diligentibus se . Sacro autem Imperio , & Magna Germanie Rudolphi virtute destitutis , vt unanimatorum Principum consensu (quos penes tanta rei arbitrium

bitrium est) Imperator Romano , & Augusto no-
 mine dignus constituatur , qui Germaniam ,
 & Christianam Rempubicam potentia ,
 & armis defendat , pietate ,
 & reliquis virtutibus
 exornet .

F J N I S .

Legi hanc orationem, & nihil inueni non conjon. catholica doctrina, aut quod bonis moribus aduerfetur.

Die 2. Aprilis 1612.

Franciscus Venturius Can. Flor.

**Attenta relatione præmissa licentiam impertimur
Imprimendi præhabitam reſcriptam oratione
In ciuitate Flor. ordinibus conſuetis ſeruatis.
Die 2. Aprilis 1612.**

Petrus Niccolinus Vic. Gen. Fl.

*Rodulfi Imperatoris res geſtas pro pacis conſeruanda ſtu
dio, & catholica religionis amore, hac oratione Exar
tas, legi, ac dignas eſſe exiſtimo, ut typis mandentur.
In Coll. Noſtro Societatis Jeſu Die 3. Aprilis.
1612.*

Emanuel Ximenes.

Fr. Corn. Flor. Inquiſitor. 3. Aprilis 1612.

Niccolaus Antellensis I. C. Senator Vidit,

